Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

novas singulis insufflari. ~~Probeat~~ probet si potest et fatebor me didicisse
ab illo quod magna intentione quaerebam. Sed quaerat alia ne fortassis
inveniat. Nam hoc istis testimoniis quae iam posuit non probavit.
Omnia quippe quae hic adhibuit ad aliquid certa sunt, ad hoc quod de animae vero
origine quaeritur demonstrandum ambigua. Certum enim est deum dedisse ho
minibus flatum et spiritum dicente propheta. Sic dicit dominus qui fecit ~~illum~~ celum et funda
vit terram et quae sunt in ea, qui dat flatum populo super eam et spiritum calcantibus
eam. Hoc testimonium iste in eam sententiam vult accipi quam defen
dit, ut quod ait dat flatum populo non ex propagine animas faciat populo,
sed novas insufflare credatur. Audeat ergo dicere non ipsum nobis dedisse
carnem, quia de parentibus origo carnis adtracta est. Certe ubi ait apostolus de
grano frumenti: deus illi dat corpus quomodo voluerit, neget si audet de
tritico triticum nasci et herbam eius ex semine secundum genus suum. Quod si ne
gare non audet, unde ergo scit quomodo dictum sit: dat flatum populo,
utrum cum trahens de parentibus an insufflans novum. Unde etiam
scit utrum repetitio sententiae sit: qui dat flatum populo super eam et spiritum
calcantibus eam, ut de una re utrumque dictum intellegatur, et non
animam vel spiritum quo natura vivit humana, sed spiritum sanctum signifi
care voluerit. Si enim flatu non posset significari spiritus sanctus, non dominus
post resurrectionem insufflasset discipulis et dixisset: accipite spiritum
sanctum. Neque scriptum esset in actibus ~~apostolorum~~: factus est subito de caelo
sonus quasi ferretur flatus ~~vehemens~~ vehemens, et visae sunt illis linguae
divisae sicut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum, et impleti sunt omnes
spiritu sancto. Quid si hoc propheta praenuntiavit dicens: Qui dat flatum
populo super eam, et tamquam exponens quid dixerit flatum, repetivit
atque ait: et spiritum calcantibus eam? Tunc enim evidentissime factum est,
quando impleti sunt omnes spiritu sancto. Aut si nondum dicendus est
populus centum viginti homines qui tunc in loco uno aderant, certe
quando simul quattuor vel quinque milia crediderunt et baptizati
acceperunt spiritum sanctum, quis dubitaverit simul populum acce
pisse spiritum sanctum et multitudinem quae ambulabat in terra.